

41. Audiens spiritualis magister altissimam discipuli humilitatem, ejus religionem optime noverat, licet ipse qui ea clarus erat, felici ignorantia se eam habere nesciret, gavisus est gaudio magno valde, desiderans et optans cunctos sibi commissos ita semper in virtutibus proficere, ut tam religiosa infirmitatis suae consideratione se proficere quodammodo nescirent. Quanta vero admiratione dignum censuerit tantae humilitatis praeconium, per hoc evidentius innotuit, quod in Sermionibus in conventu fratrum habitis, ejusdem fratris aliquoties debita cum laude meminit; asserens nullam ex omnibus virtutibus, quas idem vere monachus in simplicitate cordis sui enumerarat, tantae fortassis excellentiae fuisse, quantae pia contemplantis erat humilitas, qui negligentiores et infirmiores quosque juxta se positos nec videbat, nec attendebat, solos illos pertinaci studio praec oculis habens, quos vita et moribus spectabiles esse sciebat, quatenus eorum comparatione sibimetipsi vita sua in oculis suis vilesceret.

## CAPUT XXIV.

*De mirabili dono visionis propheticæ, qua aliorum arcana, etiam absentium, cognovit.*

42. Instabat aliquando sanctissima solemnitas Assumptionis, si recte memini, intemeratae et immaculate virginis Dei genitricis Mariae; et fratres grangiarum Clarae-Vallis, ob reverentiam tantae diei, ad abbatiam festinabant. Verum in una ex iis grangiis, quae viciniore erant, fuit Conversus quidam religiosus ac timens Deum, qui etsi pro simplicitate sua perfectiora quæque sacrae religionis apprehendere nequibat, bonae tamen voluntatis et devotionis existens, piissimam Dei Genitricem dominam nostram sincero venerabatur affectu. Cum autem magister grangiae ordinaret quisnam ad abbatiam ire deberet, vel qui ob tutelam domi remanerent, inter caeteros qui remansuri erant, eidem fratri cura custodiendarum ovium commissa est: qua commissionem licet ægerrime ferret, quoniam sperabat et multum desiderabat, divinis hymnis et cantilenis spiritualibus interesse, quos in honorem Reginae caeli a sancto illo conventu devotissime persolvendas fore sciebat; nihil tamen ausus contradicere, obedientissime paruit imperanti. Unde accidit ut devotio sancta, quam mente conceperat, quamque per inquietudinem terrenae occupationis, quam obedientia injunxerat, perdere timebat; eadem obedientia promptam voluntatem ipsius remunerante, velut ignis scintillans et aestuans, in praecordiis ejus magis ac magis dilatata, ferventior efficeretur.

43. Nocte itaque sacratissimae celebritatis, dum sollicitus excubias supra gregem suum in pascuis quiescentem servaret, factum est ut sonitus signi matutinalis, quo fratres ad divinas laudes persolvendas in caenobio excitabantur; quodque ob concitini silentium procul audiri poterat, aures ipsius reverberaret. Tum vero concaluit cor ejus 1214

A in ipso, et in meditatione ipsius exarsit ignis, cogitantis sanctae illius multitudinis frequentiam, sed et fervorem ac devotionem, qua scilicet sincero affectu piissimae Matri misericordiae caelestis harmoniae odas in commune persolverent; seu qualiter singuli quique ad se in secreto suo ejusdem beatae Virginis patrocinium votis et suspiriis implorarent. Protinus ergo exurgens, tantaeque devotionis pro modulo suo particeps effici cupiens, versus illam plagam caeli, qua monasterium situm erat, vultu et animo intentus stabat. Dehinc consuetudinariis precibus, quae Conversis vice matutinarum statutae sunt, quanto potuit devotius expletis; cum in paupere armariolo cordis sui enixius quereretur quid precis, seu quid laudis sanctae Theotoco dominæ nostrae offerret, unde protelatas et in longum valde productas fratrum vigiliis aliquo modo recompensare potuisset; nihil aliud praeter salutationem ejusdem pie Dominæ, quam utcumque didicerat, se scire invenit. Hanc itaque tanquam verbum consummans et abbreviatum, in quo plenitudo totius devotionis inveniri posset, assumens, et oculos ad caelum dirigens, venias (136) veniis, suspiria suspiriis, salutationesque salutationibus superaddidit; et in tali negotio reliquum noctis, et diluculi partem sine taedio transegit. Divina namque cooperante gratia, quae tantum fervorem in corde sui pauperis accenderat, identitas mater fastidii, noverca devotionis, miro et contrario modo fastidium propulsabat, et devotionem exacuebat, dum verba illa suavissima, et omni melle dulciora simplici corde prolata, itidemque crebrius repetita, favorem et gratiam universalis Dominæ oranti et suspiranti celerius impetrarunt.

44. Denique quod non frustra in genitu suo laboraverit, nec incassum misericordiam a Matre misericordiae quaesierit, Dominus reverendissimo abbati Bernardo per spiritum revelare dignatus est: qui divinis hymnis expletis, sacrisque mysteriis in honore praecelsae Dei genitricis et virginis Mariae a singulis sacerdotibus devotissime celebratis, cum in conventu fratrum ob tantae solemnitatis praerogativam commendandam sermonem faceret, Spiritus sancti gratia vehementer ignitum, inter caetera sic ait: « Et quidem, fratres mei dilectissimi, dubitare fas non est, vos Domino Jesu Christo vero regi, necnon et speciali patronae nostrae gloriosae virgini Matri ipsius sanctum beneplacens et acceptabile devotionis nostrae sacrificium hac nocte obtulisse; ideoque fructum laboris vestri, mercedem aeternam apud Dominum, et eandem benignissimam Protectricem nostram vobis repositam esse certissima fide tenere debetis. Verumtamen scire vos volo, unum ex minoribus et simplicioribus fratribus nostris Conversis, quem obedientia hac nocte in montibus et silvis isis sub dio tantae festivitatis gaudia celebrare coegerat, tam jucundum, tam devotum,

(136) Id est, genuflexiones

tam festivum Dominæ nostrae matutinarum exsolvisse servitium, ut nullius nostrum, quantumcumque suspensa contemplatio seu intensa devotio, ipsius devotioni, quam non alta contemplationis sublimitas, sed submissa sanctae simplicitatis humilitas effecit, praeferrere potuerit. » Quo audito mirati sunt universi, praecipue vero non solum mirati, sed et gratulati sunt, et vehementer aedificati fratres laici, quod obedientia tam festiva, quam privatis diebus frequenter in diversa opera trahebatur: certissime scientes, quoniam sicut septa claustrum et parietes templi sanctum non faciunt timorem Domini negligentem, sic etiam negotia, quae causa terrenae necessitatis obedientia injunxerit, nihil obesse poterunt puras manus in oratione levanti, puraque conscientia Domino servire cupienti.

## CAPUT XXV

*De monachi tertio apostatantis conversione, monitis et precibus sancti patris Bernardi obtenta, ejusdemque paterna castigatione, et felici morte.*

45. Conversus quidam, cum de domo Clarae-Vallis levitate sua tertio fuisset egressus tertioque receptus, tandemque salutaribus monitis, et sanctis precibus beati Bernardi abbatis compunctus, cepit apostasiae suae praecipitium, in quo jam tertio graviter periclitatus fuerat, 1215 totis medullis cordis horrere, et quid poenitentiae vel satisfactionis Domino pro tam enormi reatu suo offerre posset, enixius quaerere. Et inspirante Domino cogitavit et intellexit ad promerendam veniam delictorum, et ad obtinendam gratiam virtutum nihil efficacius, nihil in conspectu Domini acceptabilius esse sacrificio cordis contriti, et spiritus humiliati, quod solum regno caelorum vim facere praevalet. et formidabilem cunctis divinae justitiae districtionem gemitibus inenarrabilibus flectere consuevit. Haec itaque pietatis arma corripens, et seipsum contra semetipsum erigens, primo quidem universas Ordinis observantias sine dissimulatrice negligentia, quantum potuit, observare studuit, et insuper quotidianis precibus et lamentis praeterita sua peccata diluere sollicitus fuit, salubri prorsus exemplo stans, ne laborarent, lapsos, ut erigerentur, informans.

46. Caeterum disponente Domino, qui fortioribus peccatis fortiora solet adhibere medicamina, quique ineffabili pietate sua quandoque vasa contumeliae transfert in vasa honoris et gratiae, ingressa est putredo in ossibus fratris praedicti, et percussus est circa femora ulcere pessimo, apostemate canceroso, et crescente in dies angustia languoris, totus contabuit, ita ut carnibus circa locum ulceris undique corrosis, ossa nudata patescerent, et vulnera vermibus scaturirent. Annis itaque pluribus in grabato carceratus, et divinae animadversiois flagellis humiliter subditus, quot horis vivebat, totidem pene interitionibus subjacebat. Erat ergo patienti animae miserabilis dolor et

angor a facie putrescentis corporis sui, simulque servitoribus ejus angustia cordis immensa, praehorror et fetore, quem tabiosum ulcus continue exhalabat. Sed laboris et patientiae hujus nihilominus remuneratio copiosa penes Deum utrisque reposita. Saetagebat autem frater idem infirmus et doloribus et pressuris suis semper gratias agere, corde credens, et ore confitens, sese recipere longe adhuc imparia meritis.

47. Cum autem jam ad purum fuisset in eo scoria excocta peccati, ut secundum Sapientis dictum, ablata rubigine de argento egredere vas purissimum (Prov. xxv, 4); tandem educta est anima illa beata conflatorio purgationis, et velut argentum igne examinatum, munda et nitida, cum caeteris misericordiae vasis translata est ad palatium summi Regis. Sed antequam de lacu miseriae et de luto faecis educeretur, ad consolationem omnium vere poenitentium meruit in hac vita praelibare fructum laboris et patientiae suae, et nescio quid ineffabile de illa superna dulcedine, ad quam sine fine fruendam in proximo erat admittenda, praegustare. Qua gustata tanquam musto caelesti inebriatus, protinus erupit in jubilo praeconii caelestis, et serenata facie cepit idiota, et qui nunquam cantare aut legere didicerat, cum suavissima melodia quosdam novos multumque delectabiles hymnos ac modulos cantare de canticis Sion.

48. Facta autem hac voce, convenit multitudo fratrum videre cum grandi miraculo hominem tantis miseriis et calamitatibus oppressum, in ipso mortis accessu cantando ac tripudiando insultantem, et quodammodo dicentem: *Ubi est, mors, victoria tua? (I Cor. xv, 55.)* Ecce ego magnus peccator, et pauperulus homuncio, quoniam stigmata Domini Jesu in corpore meo pro nomine ipsius patienter sustinui, te, larvalis umbra, mater mœroris, exterminatrix gaudii et perditrix vitae, non timeo, sed potius contemno, sciens te absorptam et penitus annihilatam in victoria crucis Domini nostri Jesu Christi. Ita ergo praecentor noster modulizans, et Alleluia quod in plateis caelestis Jerusalem frequentatur, quodammodo praecoccupans, quid post mortem carnis facturus esset, in carne adhuc corruptibili positus praesago miraculo declaravit: sicque laetabundus et laudans, in voce exultationis et confessionis beatam animam illam exhalavit. De cujus felici consummatione beatus Bernardus hilaratus, sermonem devotissimum ad fratres in capitulo fecit, commendans in eo dignum poenitentiae fructum, et admirabilem patientiam ejus omnibus proponens exemplum.

## 1216 CAPUT XXVI.

*De sancto Bernardo, securitatem sive fiduciam cujusdam moribundi redarguente, seu potius tentante.*

49. Conversus quidam de fratribus Clarae-Vallis, innocentis vitae, et conversationis honestae, cum graviter aliquandiu aegrotasset, tandem ad extrema

devenit. Introivit autem ad eum gratia visitationis beatus Bernardus, et confortans eum ait: « Confide, fili, quia migraturus es jam nunc de morte ad vitam, de labore temporali ad requiem sempiternam. » Ille vero cum ingenti fiducia respondit: « Quidni pergam ad Dominum et Creatorem meum? Vere confido, et quantum de misericordia Domini mei Jesu Christi præsumere audeo, certus sum quia cito visurus sum bona Domini in terra viventium. » Porro beatus Bernardus, ut erat medicus sapiens, pastorque sollicitus, timens homini rusticano, ne tam fida responsio de præsumptionis magis temeritate, quam de conscientiae puritate procederet, ait: « Signa cor tuum, frater, signa cor tuum: quid est quod locutus es? Unde tibi subrepere potuit tantæ præsumptionis audacia? Enimvero tunc es ille pauperculus et miserabilis homo, qui cum nihil aut prope nihil haberes in sæculo, necessitate forsitan magis, quam timore Dei cogente ad nos confugisti, multis precibus tandem aditum impetrando? Nos vero causa Dei collegimus inopem, et parem te fecimus in victu et vestitu, cæterisque commoditatibus, his qui nobiscum sunt sapientibus atque nobilibus viris; et factus es quasi unus ex illis. Quid igitur tribuisti Domino pro omnibus istis? Et ecce non sufficit ingratitude tua gratis accepisse te tot beneficia de manu Domini, nisi et regnum ipsius hæreditario jure vindices tibi, quod nullus unquam regum vel principum, quantilibet auri et argenti molibus potuit comparare. »

50. Ad hæc ille respondens blando vultu et tranquillo animo, dixit: « Bene, pater charissime, bene utique perorasti, et vera sunt omnia quæ dixisti: verumtamen, si jubes, loquar ad te dominum et patrem meum, et paucis aperiam unde mihi pauperi et misero suggeri potuit tantæ, non præsumptionis, sed, ut ego spero, devotionis occasio. Nam si vera est illa prædicatio vestra, quam nobis sæpius inculcastis, quod scilicet regnum Dei non carnis nobilitate, non terrenis divitiis possidetur, sed sola obedientiae virtute acquiritur; hanc unam sententiam, tanquam verbum abbreviatum a Domino, sedula commemoratione apud me continui, ponens illud quasi signaculum super cor meum, assidue meditando; et super brachium meum, sollicitè operando. Querite, si placet, ab omnibus magistris et sociis, quibus me obsequi ac servire consistis, et si cuiquam illorum aliquando inobediens fui, si de fratribus nostris quempiam verbo aut signo, vel quolibet alio modo, quantum in me fuit, contristavi. Quod si operam dedi omnibus in Christo obedire, omnibus servire, cunctosque per Dei gratiam diligere, quis prohibere me potest, ut de misericordia ipsius non confidam? »

51. Beatus itaque Pater cum tale responsum ab homine rusticano accepisset, gavisus est gaudio magno, et ait: « Vere beatus es, filii charissime, quia caro et sanguis non revelavit tibi sapientiam

A hanc, sed Pater cælestis ipse te docuit, ipse posuit animam tuam ad vitam, rectissimoque tramite perduxit ad patriam. Jam ergo securus ingredi, quoniam patefacta est tibi janua vitæ. » Defuncto itaque fratre et exsequiis celebratis, venerabilis Pater de conversatione et consummatione ejus sermonem in capitulo luculentum sua illa devotione et facundia peroravit, omnesque illius exemplo ad amorem obedientiae mirabiliter accendit. Vehementer namque affectus fuit in responsione illius; et magis congratulabatur ei super obedientiae virtutem, et super ipsius animi puritatem, quam si vidisset eum signis et prodigiis coruscantem.

### 1217 CAPUT XXVII.

B *De conventu fratrum in Sueciam per sanctum Bernardum misso, qui et uni eorum promisit, fore ut in Clara-Valle moreretur, et sepeliretur.*

52. Postquam aquila illa grandis magnarum alarum, multarumque plumarum, magnus videlicet pater Bernardus, magnus meritis, sublimis sanctæ contemplationis alis, ornatus varietate virtutum, medullam cædri, id est perfectionem religionis, quam de summitate Libani, id est de altitudine divinæ gratiæ, acceperat, in solitudine Vallis absinthialis plantavit, quatenus eadem Vallis mediante amaritudine penitentiae verteretur in Claram-Vallem: cœpit jam religio ipsa transplantari super aquas multas, id est, diversarum nationum cervicosas ac tumidas voluntates, tanquam cœruleos undarum vortices, ad veræ pietatis cultum inclinare. Volens autem idem venerabilis Pater, in populis aquilonarium partium, sicut et in gentibus cæteris, aliquem fructum habere, petente religiosa femina regina Sueciæ conventum fratrum ad illas partes direxit. Cumque monachi et conversi, qui ad hoc denominati fuerant, ut hominibus rudibus et indomitis formam religionis et disciplinæ traderent, nimio mœnore consternati, precibus quibus valebant, agerent, ne tanti Patris præsentia carituti ad exterarum et barbararum mitterentur regiones, sanctus Abbas respondit: « Quid est hoc, dilectissimi fratres, quod facitis? u quid irrationalibus fletibus et precibus affligitis animam meam? Aut nunquid voluntatem meam, et non potius voluntatem Dei, cui omnes obtemperare debemus, sequor in hoc negotio? » Erant autem coram eo posita vestimenta et vasa sacra cæteraque utensilia, ad ministerium divini officii pertinentia, quæ iidem fratres, qui mittendi erant, secum ferre debebant. Volens itaque certos eos reddere, quoniam a Domino egressus esset sermo, elevavit pelvim, quæ, ad recipiendam aquam sacerdotis manibus fundendam deputata erat, et digitum fundo ejus imprimens dixit: « Ecce hoc vobis erit signum, quod Spiritus Domini miserit vos. » Mirum in modum rigor et inflexibilitas æris teneritudini digiti ejus cedere visa est, adeo ut cujus quantitatis sacer articulus fuit usque hodie liquido valeat dignosci: quantum autem intus cessisse, tantum foris æqualitatem excessisse videtur. In

testimonium enim tanti miraculi, eadem pelvis in secretario domus, quam tunc Pater sanctus ordinavit, summa cum reverentia servatur. Porro prædicti fratres videntes perspicuam divinæ gratiæ præsentiam adesse, stimulos edacis tristitiæ reprimentes, gavisus sunt: et licet remotissimas, et in ultimo climate aquilonaris brumæ abstrusas nationes, non sine quodam horrore spiritus adire possent, tamen eandem gratiam Dei, meritis et precibus sancti Patris nostri intervenientibus, se comitaturam pia confidentia præsumebant.

53. Erat vero inter cæteros adolescens quidam honestæ indolis, et columbinæ simplicitatis, Gerardus nomine, oriundus de provincia Germaniæ secundæ, civitate Trajecto; qui impatientius aliis dolens, cum lacrymis dixit ad Virum Dei: « Beatissime pater, ego miserabilis juvenculus relicta domo paterna, spretisque omnibus quæ mihi in hoc sæculo desiderabilia et amabilia esse poterant, religionis amore Paternitatem tuam adii, sperans me tua dulcissima præsentia debere perfrui, tuis doctrinis et exemplis informari, tuis meritis et precibus adjuvari, subque sanctæ hujus multitudinis umbraculo, a turbine tentationum, et ab æstu juvenilium desideriorum tutari; quodque votis omnibus exopto, inter sacra corpora fratrum nostrorum in hoc cæmeterio quiescentium diem expectare novissimum. Et ecce ejicis me hodie a facie tua, sacrique collegii hujus consortium perdo; et insuper desiderata mihi sepultura privabor. Hinc prorsus, hinc vehementer oleo, quia cor meum conturbatum est in me. »

54. Compassus adolescenti Vir beatus, afflictam mœnore animam aflatu blando mulcere curavit et quæ post annos quinquaginta futura erant spiritu prophetico prævidens, ait ad eum: « Vade, filii charissime, quo te Spiritus sanctus 1218 mittere dignatur, et in agro dominico tanquam strenuus operator labora. Ego tibi in nomine Domini polliceor, et securum te facio, quia, sicut desideras, in Clara-Valle morieris, et cælestis Sponsi gloriosum adventum una nobiscum præstolaberis. » Hanc ergo tam beatam pii Patris sponsonem, velut arrham sui desiderii, frater ille suscipiens, gavisus est valde, sciens utique nec falli posse, nec fallere velet hominem, quem sapientiæ et veritatis secretarium esse manifesta signorum et prodigiorum declarabant indicia. Ivit itaque, et in domo quam cum cæteris fratribus initiare mittebatur, Prioris et cellerarii administrationes strenue percurrens, divina largiente gratia nomen pariter et officium abbatis sortitus est. Cujus dignitatis apicem licet invitatus conscenderet, malens in humili loco salvari, quam in sublimi periclitari, susceptum tamen religiosissimæ conversationis nitore decoravit. Quia vero propter paucitatem clericorum vix aliquis de terra convertebatur. Dominus fidei servo suo departibus Germaniæ et Angliæ litteratas et discretas personas mittebat, per quas disciplina monasticæ religionis

A in regno illo fundata crescebat, et fructificabat competenter in populis, qui monachi quidem nomen audierant, sed monachum antea non viderant. Ipse etiam dominus abbas cellerario suo, Abraham nomine, viro prudenti, universa domus ordinatione in temporalibus cunctisque negotiis exterioribus commissis, totum te spiritualibus studiis mancipavit; animabus lucrandis intendere, in servitio Dei vigil et sollicitus inveniri, frequens esse in labore, dum alias vacaret, frequens etiam in lectione, corporale subsidium de communi quærere, et per omnia formam pietatis, et religionis fratribus suis studens exhibere.

55. Tanta quoque mansuetudinis et patientiæ gratia pollebat, ut cum quadam vice monachus quidam, quem pro culpa castigarat, maligno spiritu afflatus, descendente eum per gradus dormitorii pugno tam valide percussisset, ut dolor non modicus ictui succederet; tantæ perversitatis hominem non solum non ejiceret, seu gravi culpæ subiceret, sed e contrario seorsim eum trahens veniam coram ipso peteret, supplicans ut rancorem quem adversus se habebat, propter Deum dimitteret. Cæterum quidquid virtus, quidquid religionis, tam in se, quam in subditis suis deprehendebat, non hoc suæ industriæ, sed gratiæ Dei, meritisque sanctissimi patris sui Bernardi tribuebat.

56. Jam vero si forte agendorum causa negotiorum certa necessitas eum de monasterio progredi postulasset, tantum se ac talem in omni disciplina et continentia sæcularibus exhibebat, ut tam rex, quam principes terræ illius, sicut revera hominem Dei ipsum venerarentur et colerent, et audito eo multa facerent, et libenter eum audirent. Dux etiam terræ illius, vir strenuus et potens, se ad reverentiam beati viri submittebat, fastigiumque principatus sui celsitudini sanctitatis ipsius adeo humiliabat, ut aliquoties familiaribus suis diceret: « Quacumque hora abbatem Gerardum me videre considero, tanto timore concutior, ac si omnia secreta et abs-trusa pectoris mei pateant oculis ejus. »

57. Cum autem jam senuisset, et usque ad decrepitam ætatem pervenisset, quadragesimum in prælatione complens annum, variis quoque infirmitatibus corpus ejus quateretur, cœperunt eum fratres rogare, quatenus sicut communiter multo tempore cum eis vixerat, ita etiam sepulturæ locum apud ipsos sortiri dignaretur. Quibus vir Domini respondit: « Ne, quæso, loquamini ita, filii mei; oportet modis omnibus ut in Clara-Valle moriar, et secundum sponsonem Deo dilecti Patris mei, cum sanctis qui ibi pausant in pace, in idipsum dormiam et requiescam. » Causantibus illis, et dicentibus, « Quomodo te, Pater, illic reducere poterimus, cum præter veteranæ senectutis incommoda tot et tantis infirmitatibus quassatus et debilitatus sis, ut vix ad proximos terminos Danorum spirantem te pervenire posse putemus? » cum multa fiducia respondit: « Verbum Dei validum et forte, vivum

et efficax, quod per os reverendissimi Viri auri-  
bus meis infusum, penetralibus cordis mei ar-  
rham bonæ spei hujus qua **1219** feror, indidit,  
prosperos in hoc itinere successus præstabit;  
vos tantum quod præcipio, implere curate. » Ita-  
que gestario inter duos equos composito, in eo  
collocatur, et non sine grandi miraculo a finibus  
orbis per tanta terrarum spatia, per tot maris et  
fluminum pericula Claram-Vallem pervenit, ibique  
in infirmitario aliquandiu recubans, in bona con-  
fessione spiritum exhalavit. Accepit vero deside-  
rata sepulturæ locum juxta beatæ memoriæ domni  
benedicti Humberti tumbam, qui eum familiariter  
in vita sua dilexerat. Cujus decessum cum rex  
Sueciæ comperisset, cum gemitu protestatus est  
regnum et terram suam dignam non fuisse, ut in  
ea tanti viri sacra ossa requiescere debuissent.

## CAPUT XXVIII.

*De felicissima morte sancti patris Bernardi, et opera-  
tione miraculorum eidem per abbatem Cisterciensem  
inhibita.*

58. Dilectus Deo et hominibus venerabilis pater  
Bernardus, dum in Clara-Valle sua feliciter consum-  
masset dies suos, plenus dierum, sed plenior virtum,  
requievit in pace: ad cujus exitum episcopi  
et abbates, alique religiosi viri multi convenere.  
Cumque biduum exsequiæ celebrarentur, tanta  
multiitudo hominum convenit, ut pene nulla episcopis,  
nulla fratribus reverentia haberetur. Nam gratia sa-  
nitatum quæ affuerat vivo, nunquam recessit a de-  
functo. Cum enim sanctum corpus sacerdotalibus  
indumentis decenter ornatum, revelata facie, ma-  
nibus quoque discoopertis in medio positum esset,  
frater quidam diuturno et gravi morbo epilepsiæ  
detritus, reverenter et humiliter accedens, Patrem  
sanctum, tanquam adhuc viventem, lacrymosis præ-  
cibus, ut sui miseretur, orare cœpit. Nec poterat  
pius Pater adhuc in medio filiorum positus, tam  
gravem filii sui calamitatem dissimulare; sed tan-  
quam diceret, « Filii, ego dormio, et cor meum vi-  
gilat; » continuo quod petebatur, per gratiam Dei  
concessit. Nam ex illa hora frater idem perfecte  
convaleuit, et Abbatem sanctum vivere post mortem  
felici experientia didicit. Pridie etiam quam recon-  
deretur pretiosissimus ille thesaurus, puer quidam  
de proximo viculo advenit, præ siccitate nervorum  
aridum habens brachium et manum contractam:  
cujus ætati et debilitati, qui præsentibus aderant,  
compassi, tanto hunc fiducialius ad sacri corporis  
tactum invitare post horam orationis nonam,  
quanto id minus innocens ætas per se præsumere  
audebat. Ubi vero brachium aridum brachio sancto,  
et manus contracta manui benedictæ applicata est,  
repente vigore naturæ redeunte, brachium conva-  
luit, et manus libere extendens, et reflectens digitos  
sub oculis totius multitudinis, quæ sacrum funus  
quaquaversum circumdederat, perfectæ sanitati re-  
stituta est. In cujus curatione tantus illico factus  
est clamor omnium qui aderant, vociferantium in

laude Dei, ut vix eum potuerit fratrum disciplina  
reprimere. Superveniente nocte allatus est alius  
toto corpore debilis, procubuit loculo, et coram  
psallentibus erectus est, et deductus ad altare.

59. Enimvero dominus Cisterciensis, qui cum  
pluribus aliis abbatibus sui Ordinis ad exsequias  
Viri Dei venerat, considerans tantam importunita-  
tem tumultuantis populi, et ex præsentibus futura  
conjiiciens, vehementer timere cœpit, ne, si, cre-  
brescentibus signis, tam intolerabilis turba populo-  
rum concurreret, eorum improbitate disciplina per-  
iret Ordini, et sanctæ religionis fervor in eodem  
loco tepesceret. Quapropter habita super hoc deli-  
beratione, reverenter accedens, per virtutem obe-  
dientiæ, ne signa ulterius faceret, inhibuit. Sed  
cum dicitur Apostolus de Domino nostro Jesu Chri-  
sto, quia factus est obediens Patri usque ad mor-  
tem (*Philip. II. 8*); et ipsius exemplo Legislator  
noster sanctus Benedictus obedientiam nobis usque  
ad mortem in regula proponat (*Cap. 7*): sancta et  
vere humilis anima Patris nostri, mortali homini  
etiam post mortem carnis obediens fuit. Nam signa  
quæ tunc jam radiare cœperant, ita cessavere, ut  
ex illa die et deinceps nunquam publica miracula  
facere visus sit, **1220** licet quibusdam fidelibus,  
præcipue sui Ordinis fratribus, pro variis incom-  
moditatibus ad se clamitantibus usque hodie deesse  
non possit. Namque sola illa signa, quæ discipli-  
nam Ordinis per turbas concurrentium populorum  
minuerent, domnum Cisterciensem fieri noluisse,  
manifestum est.

60. Evolutis dehinc post transitum beati Viri  
pluribus annis, erat in partibus Italiæ matrona quæ-  
dam, quam correptam spiritus malignus atrociter  
vexare cœpit. Quo tam lamentabili casu propinqui  
et amici ejus vehementer consternati, si quid re-  
medii foret, sedula meditatione pensare cœperunt.  
Erat autem in vicinia eorum cœnobium quoddam  
Ordinis Cisterciensis: et sicut mentibus in angustia  
constitutis spes undecumque concepta solet parere  
fiduciam, ad eandem domum dæmoniacam illam  
causa curationis ducere communi consilio decre-  
verunt. Quod et factum est. Sistitur misera ad por-  
tam, et aliqui ex simul comitantibus, qui tantum  
malum abbati et fratribus nuntiarent, opemque fla-  
gitarent, mittuntur. Abbas vero quosdam de senio-  
ribus, quos magis noverat spirituales, assumens,  
cum cruce dominica et sanctorum reliquiis egredi-  
tur ad patientem. Cumque malignus ille spiritus  
per Domini crucem et sacra sanctorum pignora  
conjuratus non moveretur, recordatus est abbas se  
habere venerandas reliquias de capillis et barba  
sancti Bernardi, quos eodem, ni fallor, anno ad  
capitulum vadens, in Clara-Valle pro benedictione  
acceperat, et ad tutelam continue secum ferebat:  
et nihil dicens, manus sub cuculla silenter misit,  
quatenus extractis his reliquiis dæmonem per has  
urgeret. Quod pesifer ille lynceis oculis deprehen-  
dens, cœpit continuo scabellum pedibus tenere,

sputa jacere, totius quoque corporis indecenti  
motu, quid intus pateretur, prodebat invitus; et  
erumpens in vocem: « Eia, inquit, abbatule, quid  
vis facere? quid modo mali contra me sub illa  
veste tua machinaris? Frustra niteris, incassum la-  
boras; serva Bernardum tuum, nec enim proficies  
quidquam. » Dicente vero abbate, « Per Domini gra-  
tiam, et hujus sanctissimi Viri merita modo egre-  
dieris; » ille respondit: « Quid? an excidit tibi quod  
prohibitum est ei signa facere? Hoc ergo sciens,  
securus in hoc meo domicilio requiesco. » Audiens  
ergo abbas et fratres, qui cum eo erant; hæc verba,  
valde mirati sunt, quod scilicet spiritus nequam in-  
terdictum illud in scutum suæ defeusionis tam ce-  
leriter invenit. Hæc nos de virtutibus beati Ber-  
nardi abbatis breviter perstrinximus, Domini mi-  
sericordiam postulantes, quatenus dulcissimi Pa-  
tris meritis et precibus nos ab omni malo custo-  
diat, et post tanti patroni sacra vestigia divinæ  
gratiæ spicas legentes, æternæ vitæ participio non  
fraudari concedat.

## CAPUT XXIX.

*Epilogus librorum de vita et gestis sancti patris  
Bernardi.*

61. Fortissimorum athletarum Christi, virorum  
in Ordine Cisterciensi illustrium, dux et signifer  
exstitit beatæ memoriæ dominus Stephanus, qui de-  
cimo anno instituti Ordinis Cisterciensis, pastoralis  
curæ officium in eadem domo suscipiens, et propa-  
gandæ religionis desiderio fervens, cum per conti-  
nuos quatuordecim annos paucitatis suæ tedio tam  
ipse, quam fratres ejus vehementer afflicti fuis-  
sent; quinto decimo demum anno, divina desuper  
aspirante gratia, nostris temporis apostolum beatis-  
simum Bernardum cum turba fratrum et sociorum  
ejus ad tirocinii spiritualis probationem suscipere  
meruit, Domino ad dilatandum Cisterciensem Or-  
dinem per universas occidentis plagas, ex die  
illa et deinceps, copiosissimam dante benedictio-  
nem. Iste reverendissimus pater Stephanus post  
aliquantos annos fratres beati Bernardi ad ædifican-  
dum domum Claræ-Vallis mittens, ipsum venera-  
bilem virum sanctum Bernardum, in juvenili adhuc  
ætate constitutum, sed sapientiæ et religionis ma-  
turityte multos canos transcendentem: ideoque re-  
verendum, illis abeuntibus præfecit abbatem; jam  
tunc, ut credimus. Spiritu revelante prænoscens,  
quantæ proceritatis, quantæque pulchritudinis ce-  
drus illa futura esset in **1221** paradiso Ecclesiæ  
Dei, quantæ etiam multitudinis cœtus, ex diversis  
mundi partibus collectus, sub umbra condeusarum  
frondium, id est multiplicium meritorum ejus,  
ab æstu carnalium illecebrarum foret refrigeran-  
dus.

62. Sed quis æstimare sufficiat, quam grandis  
multitudinis fuerit beatorum ille cœtus, vel ex quam  
diversis provinciis et insulis coadunatus? Nempe,  
ut de mediterraneis Italiæ, Germaniæ, Galliæque  
provinciis taceam, ipsæ extremæ insulæ Hiberniæ,

Britanniæ, Daciæ et Sueciæ, quæ finem orbis fa-  
ciunt, ad hunc cœtum perficiendum crebras per-  
sonas mittebant; et propter Abbatem sanctum etiam  
locum sanctum celebri devotione venerabantur. Ut  
etiam de Conversis taceam, quorum longe copiosior  
erat numerus, quam monachorum; post decessum  
beati Viri simul in uno loco reperti libelli profes-  
sionum octingenti octoginta octo, exceptis quam-  
pluribus aliis, qui negligentia et longinquitate tem-  
poris dilapsi, non poterant inveniri. Ubi vero ali-  
qui de hoc sacro cœtu, disciplinæ vomere exculi,  
virtutumque seminibus receptis adeo profecissent,  
ut jam fructificare, aliisque prodesse posse spera-  
rentur; sicut ex diversis regionibus colligebantur,  
ita etiam mox ad diversas regiones causa ædifican-  
dorum cœnobiorum emittebantur. Sicque fiebat, ut  
licet persæpe nonagenarium, nonnunquam vero  
centenarium numerum excederent Novitii; nun-  
quam tamen sacer ille conventus nimie multitu-  
dinis angustias pateretur.

63. Sanctæ recordationis dominus Henricus, Vitæ-  
Scholæ, quod est cœnobium in Dacia de linea  
Claræ-Vallis, primus abbas, referre solebat, quia  
cum esset Novitius in Clara-Valle, et nonaginta ti-  
rones in cella probatoria sub disciplina beati Ber-  
nardi instituerentur; quadam vice discumbentibus  
eis intravit ad visitandos filios suos idem piissimus  
Pater, quem sequebatur. Conversus cum sporta in-  
ciso caseo plena: et accedens ad præfatum Hen-  
ricum, qui tunc Prior Novitiorum erat, dulcissima  
manu sua frustum casei posuit ante eum, commo-  
nitorium hoc verbum dicens: « Frater, comede;  
grandis enim tibi restat via. » Dehinc fidelis minister  
magni illius Patrisfamilias, qui faciet servos suos  
discumbere, et transiens ministrabit illis, per ante  
universos Novitios transiens, ac singulis pitantiam  
charitatis porrigens, eundemque sermonem per-  
singulos repetens, et corpora eorum jucunde refecit,  
et mentes ad sollicitudinem arctæ et angustæ viæ,  
quem terere cœperant, excitavit. Licet vero fre-  
quenter viri virtutum de sacro collegio Claræ-Vallis,  
ad propagandam Cisterciensis Ordinis disciplinam,  
per distincta orbis climata emitterentur; nunquam  
tamen aut Iberici æstus, aut Scythici frigoris hor-  
ror, seu altera quælibet inclementia cœli, animos  
eorum inclinare poterat, ut non formam Ordinis,  
quam in Clara-Valle didicerant, in habitu et victu,  
cæterisque corporis necessariis virili constantia  
retinerent, pulchre Horatianum illud sibi vindi-  
cantes:

*Constantes animi, quos non locus alterat alter.*

64. Nec solum diversarum provinciarum episcopi  
et magnates cœnobio de disciplina Viri Dei in suis  
regionibus fundari postulabant, sed etiam superba-  
rum urbium populi ex discipulis ejus archiepisco-  
pos et episcopos sibi eligebant: felices se arbitran-  
tes, si de tantæ perfectionis fonte, pastores anima-  
bus suis providere potuissent: cum tamen perfectæ